

feselit. Dicerem, quae antea futura dixissem, ni vererem, ne ex eventis fingere viderem. Sed tamen plurimi sunt testes, me et initio, ne conjungeret se cum Caesare, monuisse Pompejum, et postea, ne se jungeret; conjunctione frangi senatus opes; disjunctione civile bellum excitari videbam, atque utebar familiarissime Caesare, Pompejum faciebam plurimi. Sed erat meum consilium cum fidele Pompejo, tum salutare utrique. Quae praeterea providerim, praetereo. Nolo enim hunc de me optime meritum existimare, ea me suasisse Pompejo, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga, et princeps; sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Eundem in Hispaniam censui: quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset. Rationem habere absentis non tam pugnavi, ut liceret, quam ut, quando, ipso consule pugnante, populus jusserat, haberetur. Causa belli orta est: quid ego praetermisi aut monitorum, aut querelarum? cum vel iniquissimam pacem justissimo bello anteferrem? Victa est auctoritas mea, non tam a Pompejo (nam is movebatur), quam ab iis, qui duce Pompejo freti per opportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. Susceptum bellum est, quiescente me, depulsum ex Italia, manente me, quoad potui: sed valuit apud me plus pudor meus, quam timor; veritus sum deesse Pompeji saluti, cum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaras, sic ego prudens et sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus: quo in bello nihil adversi accidit non praedicente me. Quare, quum ut augures et astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus praedictis constitui apud te auctoritatem augurii et divinationis meae debet habere fidem nostra praedictio. Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis solistimis, aut sonniviis tibi auguror, sed habeo alia signa, quae observem: